FONSBLA VVS.

Cerne, breui lector nunc te sermone tenebo.
Quattuor hos tantum iam lege uersiculos.
Pierij latices, claræ sunt Phocidis undæ.
Hos, uada Cephisi qui cecinere, uides.
Me quoq; Reysmanus studuit celebrare perennem.
Pars quota cum claris fontibus inde ferar.

PER THEODORVM REYSMAN.

152[illegible] fuit Rector [illegible] [illegible] Nordlingensis [illegible]
[illegible] Theob. Willi[illegible] [illegible]
[illegible] Germani[illegible] [illegible]
[illegible] eleg. [illegible]

e

ET IMAGINIBVS, ET LITERIS INCLYTO HEROI, DOMINO GEORGIO DRVCHSES, MECOENATI SVO CLEMENTISSIMO, S. D. P.

SVPERIORE Autumno, Vir Inclyte, patrum Academiæ Tübingensis prouidentia, & ob äeris intemperiem, secessimus, quidam in alium locum, nos uero Blaubyriam. Ibi etsi accolæ boni, & simpliceis fontis Blaui, iugorum, amœnissimæ uallis, totiusq; loci ob continuam cohabitationem, ita ut fit, sáturi sint, attamen huc qui siue casu, siue consilio diuertunt, loci admiratione adficiuntur, fontisq; miraculo stupent. Quod cum & nobis adcidisset omnibus, & admirationem, & stuporem illum sic tenuiter complexus sum ucr sibus, quos Blauum adpello. Hunc, Vir Inclyte, tibi defensitandum à latratu maleuolorum dédico. Non solum enim publico fauore, & præsidio nostram Academiam, laudeq; perenni próuehis, sed etiam, quē ad modū Ludouicus frater tuus, Vir Fortissimus, tuos ipsius liberos & in patria literis formandos, & in Italiam ingenij cultus gratia capiendi ablegandos curasti. Sæpe etiam cum Serenissimo Rege Ferdinando Blauū es unice admiratus. Adde, quod & Blaui cursus nostri pertinet ad reliquam Ducatus Vuirtembergensis Monarchiam, cuius regiam administrationem tu, Vir In-

elyte, ut dignissimus Vicarius iuste gubernas. Próinde Blauum, quem antea saepe admiratus es, & tuae fontemq́;, fluuiumq́; Monarchiae, nec non solito erga literas, & harum studiosos fauore, déniq; Mecoenatis, Augusti, Agrippae, & reliquorũ principum uirorum exemplo suscipe, & defende. Heróicôs Vale, Vir Inclyte, & inter tibi commendatos Theodorum, ut facis, ama. Blaubyriae Sueuorum.

TE celebreis inter fonteis Natura, Parensq́;
Rerum formauit, Blaue canende mihi.
Digne cani, pulchros inter liquidissime fonteis,
Gurgite qui uitreas diuite fundis aquas.
Thesauro latices depromis nempè profundo,
Quo uix credo potest altior esse magis.
Fortè, quòd Alpinos hic se demittere colleis,
Inq; sinum uideas uelle subire tuum.
Alpibus & uicina Alba, & sic dicta Sueuis,
Hunc quoq; decliuem condidit ipsa locum.
Vt se demittant, ut sint decliuia cuncta,
Saxosis fons est cinctus at iste iugis.
Prae scopulis saxum reliquis hic prominet ingens,
Huic speculam ueteres imposuere loco.
Non hanc deijciunt forteis cum fratribus Austri,
Nec Boreas nimbis huic nocet ipse suis,
Stans immota Alpeis, cernitq́; Lycaonis Arcton,
Et Solis nitidos egredientis equos.
Cernit eos, quándo Oceano se tingere pergunt,
Et se spumosos quándo adaquare solent.
In praeceps de alto uidet ista domuncula saxo,
Prospicit in uenas lympide Blaue tuas.
Vt maris Aegaei speculator, siue Britanni
E specula malo prospicit imposita.

Ceu de alto quis Pyramidum deſpectet olympo,
Sic domus in Blauum penſilis iſta uidet.
Huc perhibent Ceruum ſyluis fugiſſe propinquis,
Aëripes mortem diffugiturus erat.
Scyllæos latices neſcit, uitare Charybdim
Dum ſtudet, atq; necem, dum fugit, inſiluit.
Vrgebant utrinq; Lacon, celereſq; Moloſsi.
Venator tergum clauſerat omne feræ.
Audires ſonitum cornu, ſtrepitumq; ſequentum.
Latratu reſonant proxima rura canum.
Tum iuga, tum ſyluas reſonans compleuerat Echo.
Exanimis Ceruus prendier ipſe negat.
Quod ſaxum facit hic, collo ſalit ipſe reducto.
Curritur huc, ruit huc uis, ſequiturq; feram.
Impetus án ne feram deiecerit, án ne putandum eſt,
Se uiuam canibus non uoluiſſe dari.
Atq; mori ſtatuiſſe prius, quám præda ſequentum
Succenſos inter uiua perire canes.
An ne fuga certam uoluit ſperare ſalutem.
Magnis in Blauum ſaltibus inſiluit.
In præceps é ſublimi fera ſuccidit ingens,
Atq; imo Blaui mergitur ipsa ſinu.
Fons nimium eſt altus, uenæ nimiumq; profundæ.
Impetus ante grauem degrauat ipſe feram.
Mole ſua preſſusq; ima dum certat Abyſſo,
Et ſurſum Ceruus poſſe natare cupit.

Viribus exhauſtus, laſſatusq; ante natator,
Quàm potuit ſurſum membra referre ſua.
Attrahit ipſe uorax gurges, prohibetq; reuerti,
Duram luctator combibit ergò necem.
Non tamen has epulas digeſsit gurgite Blauus.
Maiorem nimio credo fuiſſe bolum.
Fontis erant imo obſtypatæ in flumine uenæ,
Diſpenſare ſuas fonsq; nequibat aquas.
Fit ſonitus, magnumq; imo fit gurgite murmur.
Incluſum tonitru nempe ſonare putes.
Venti indignanteis tali cum murmure fœdus
Regis in Aeolia, ſceptra ſonare, colunt.
Sic, Läertiadæ ſocius cum ſolueret utrem
Prægnantem uentis, æquora cuncta fremunt.
Accola demirans murmur, Blauiq; tumultum
Inſolitum, uenas, fontis aditq; ſinum.
Ceu iuga ſe montis cupiant aperire, ſonabat,
Se uelut in ualleis præcipitare uelint.
Vt uelit Oceanus Blaui perrumpere uenas,
Proxima diluuio perdere quæq; nouo.
Pars mutare locum properat, pars territa uitæ,
Ambigua eſtq; necis, ſemanimisq; ſtupet.
Pars orare Deum, cœlos, terraſq; regentem,
Qui dare conſilium, præſidiumq; ſolet.
Venatu redit interea quis, nuntiat alto
Ingentem ſaxo deſiluiſſe feram.

Saltibus hanc miris scopulos, per saxa ruendo
  Euasisse canes, retia, tela, uiros.
Mox subit, ut credant Ceruum in siluisse lebêtem,
  Imo obstypatas gurgite fontis aquas.
Venas ritè suos non posse absoluere cursus,
  Funeis adcelerant, uincla recurua, rateis.
Præcuruo longos funeis armantq; Tridente.
  Indignans murmur uelle silere putes.
Brontis opus, Steropisq; Tridens demissus Abysso
  Innatat, attrahitur gurgite prensa fera.
Murmur abit, redeunt uenis stypata fluenta.
  Omnia sed cursu tunc meliore fluunt.
Insolitum fugere sonum qui, nempè reuersi.
  Territa pars uireis concipit inde nouas.
Parua quidem specie res est, tamen illa fuisset
  Imo triste malum fonte relicta fera.
Hinc & qui orauere Deum, sensere parentem,
  Qui rebus dubijs proximus esse solet.
Hoc monitore bonus uenatu nuntius ille,
  Cúnq; illo præsens uenerat auxilium.
Naiades, & Nymphas iam tum gaudere salaceis,
  Et uideas uultu cuncta redire nouo.
Tum quadringentis cubitis, & pluribus altum
  Mirantur Blauum, cornua pulchra feræ.
Armis infixum telum mirantur acutum,
  Non celerem tamen hoc præpedijsse fugam.

In portu Libyco ceruorum corpora septem
  Aeneæ iaculis talia fusa puto.
Multas hic uideas Blauiq; patere lebêtem
  Vlnas, miracli plus tamen altus habet.
Inclytus hic Ferdinandus Rex dicitur olim
  Demisisse globum pondere nempè grauem.
Innumeros mensus cubitos miratur Abysson.
  Phocæos latices, Castaliosq; uocat.
Non totidem quidam cubitos à Rege fuisse
  In Blauo mensos hac ratione uolunt.
Quondam cædendo, quæ nuda cacumina nùnc sunt,
  Syluas, cum truncis saxa ruisse iugo.
Continuò nunc hoc Blauum petijsse profundum,
  Nunc aliud. clausam gurgite nempè uiam.
Ceu per Cancellos fontemq; erumpere Blauum.
  Illa grauem referunt impedijsse globum.
Hic locus in præceps mirus, mireq; profundus
  Imo cœruleas gurgite fundit aquas.
Illum Germani Blauum dixere colorem.
  Hinc fontem constat nomen habere suum.
Mox amnem uenæ faciunt, lembosq; receptant.
  Nobilibus Druttis Blauus & ipse fluit.
Lucius huic gracilis, Cephalæus inest ibi Mugil,
  Qui caput à paruo corpore maius habet.
Cœruleas Blaui quoq; Fundulus incolit undas.
  Hic dulceis cœnas sæpe cohorte facit.

A 5

Protinus octo uena rotis molit amne sonanti

Radices montis flumine dite natant

Quom torret Procyon campos, gelido fluit amne

In Bruma tepidas gurgite fundit aquas

Fertur, Erichthonios concretos frigore currus

Soluier admotos lympide Blaue tibi

Hic factum Pario claret de marmore Templum,

Venis contiguum Cœrule Blaue tuis

Aris deuotum centum, totidemq; columnis

Pulchrum, Dædalea factus ab arte labor

Mœandris uarium, tot distinctumq; habitaclis,

Thesea queis filo posse redire negem

Multarum quoq; diues opum diuina supellex

Hic est, selectis Bibliotheca libris

Hanc tamen obductam uideas squalore, situq;

Obductæq; sedent puluere Castalides

Sic mercatorem cernis spreuisse Camœnas,

Qui ficus mauult stultior esse suas

Obscuro probat hoc lectus fullone Senatus

Estq; Midæ constans proditor auriculæ

Id genus Anticyram mittendum, ægrota caterua

Digna cohors, ficos quæ patiatur, erit

Non olim Libycus sacer Augustinus alumnos

Contentos passus relligione suos

Hic uoluit sacris doctas coniungere Musas,

Artibus, & celebreis relligione uiros

Stridonius pater hoc Hieronymus ipse probauit

Legerat hic flores Quintiliane tuos

Lumina tantaq; nil artis latuisse fatendum est

Egregiæ sacer, ac doctus uterq; fuit

Alter, ut adcipimus percussum, est cæsus inique,

Tullius huic quòd erat cognitus, atq; Plato

Romani ciueis, quantumq; & honoris Achiui

Artibus attulerint, sæcula multa canunt

Egregias arteis contemnens, ille necesse est

Sit malus, hic flagris erudiendus erat

Aggeribus, fossis, muris, stratisq; uiarum

Sunt æqui, magnis sumptibus illa struunt

Et nemo, ut uideo, est in curauda cute segnis

Mens quàm sit melior corpore quisq; uidet

Pauci se erudijsse, suam sobolemq; doceri

Contendunt plenæ puluere Castalides

Qui bonus esse cupit, treis hic obulos numerando

Conducit uilem scilicet Aedituum

Iste satis doctus, si tritum Gloria Patri

Concinat, ac pubes talia docta sonet

Scilicet hic, aut hic debet reuocare Senatum

Argentanginam passus uterq; silet

Nobilis & mage nobilitas, mage laudeq; digna,

Arteis ni toleret penè iacere bonas

Strenua si adsereret patria uirtute Camœnas,

Essent nobilium semina uera patrum

Templáque quisq; bonus solida cum laude probet, ni
Omisso iaceat Bibliotheca situ.
Hoc nostrum uitreis pars Blaui intérsecat undis.
Fonticulos diues reddit ubiq; nouos.
Ad dextram locus est templo, conclaue Latini
Dicunt, huc pastum corpora conueniunt.
In medio Liguri de marmore facta columna.
Huc surgit, Blaui desilit inde liquor.
Et raucum teneras murmur ne læderet aureis,
Adpositum uideas scilicet artis opus.
Defluit ipse liquor factis ex ære cathenis.
Hæ tenueis faciunt ritè silere sonum.
Ante fores alium uideas fluitare cicutis
Ter tribus, & rauco murmure fonticulum.
Est, ubi de Blauo cernas uiuaria facta,
Nostri quæ templi mœnia clausa tenent.
Picturas quoq; Zeusæas mirabar, & illam,
Orbis quæ formam parua tabella gerit.
Quantum Asiæ maius regnum, Libyæq; minora
Sceptra, sit Europæ finis utroq; minor.
Ast alia pendent Solymæ confinia pictæ.
In propria tabula scilicet ista uides.
His intertextum tabulis quoq; stamen Arachnes,
Omisso uideas multa peræsa situ.
Sed propè Germanæ pendet quoq; gloria gentis,
Quam tamen inuadit bellua, Turca ferox.

Regnaq; desidibus nobis crudelis ademit,
Pultauitq; fores clara Vuienna tuas.
Hœc multis merito lachrymis perfusa tabella est.
Funera multa, uiros, regna subacta uides.
Pannonios, & Byzantas, strauit Rhodon ipsam.
Et quid non tentat Bellua sæua mali?
Oblita est patriæ uirtutis Teutonis ora?
Et princeps orbis talia ferre uolet?
Nobilium Comitum nomen, formasq; uidebam.
Templi fundator primus uterq; fuit.
Henricum Comitem, cui olim subiecta Tübinga,
Gente Palatina quiq; oriundus erat.
Sigibothonis erat de Ruk coniuncta figura,
Arx iacet in dorso quæ bona Blaue tuo.
Gemmis est, auro, & Sarrano murice clarum
Hoc templum, colit hoc Bacchus, & ipsa Ceres.
Redditus in medio stabat Saluator Iēsus.
Machina cœlestis Praxitelæa chorus.
Christiparam Mariam cernas, Annamq; parentem,
Et Lysippæa cætera facta manu.
Publion, expressam uideas illic Mitylenen,
Vipereus Pauli factus ibiq; rogus.
Organa sunt illis fateor quoq; Musica, uerum
Artibus omissi qualiacunq; sonant.
Orphea, Phemion, atq; potens præsentis Iöppae
Optarim carmen pondere dulcisono.

Saxa, feras, monteis, fluuiosq; mouere solebant.
Menteis nostrorum posse mouere putem.
Scilicet, adsereret quó pro se quisq; Camœnas.
Id Superos, patet hoc publica uelle bona.
Hos quoq; diuinas laudes celebrare putarim
Dulcius. haud calami stridet ab arte sonus.
Clepsydra pendebat, Stöfleri fabrica docti,
Signa suum Phœbum per duodena regens.
Annorum seriem uidi quoq;, tempora prisca,
Queis ædi facta est prima columna sacræ.
Multa uetustas scripturam detriuerat, ut non
Consequerer, nec erat cura rogare mihi.
Extructum iacet hoc in dextra margine templum.
Attingit uenas Cœrule Blaue tuas.
Vndaq; demerso currens tua Blaue canali,
Et lustrans Templi quæq; habitacla rigat.
Alueus ipse foris pleno delabitur amne,
Et mox, quot dixi, tot molit ipse rotis.
Silenus regit hasce molas, & cultor Iacchi,
Qui duplicem Blauum sæpé uidere putat.
Nutandoq; domos numerare solebat in urbe,
Et tremulus pueris fabula sœpé fuit.
Hunc Chromis, & socius uiderunt urbe reuersum,
Perfusum multo sæpé iacere mero.
Emmaus adiacet hic parua, & Blaubyria dicta.
Blaubornam prisco dicere more solent.

Virius hæc ratio est. insigne est rusticus illis
Cœrulus, est color hic Cœrule Blaue tibi.
Fontem Germani Bornam, Brunamq; uocarunt.
Hæc quoq; Iudæi nomina fontis habent.
Altera uox itidem deflexa est, rusticus illa,
Et non obscure, significatur homo.
Candidus, & simplex, aliqua sine fraude popellus.
In patrio diues rure, domoq; satis.
Viuit sorte sua contentus. religioni
Syncera mira sedulitate uacat.
Auro scilicet ut fuluo laquearia ducat,
Non est hic nimius sollicitator opum.
Quiue petat uenas montis, cæcasq; medullas,
Horrendis specubus quærat auarus opes.
Vtq; bibat gemma, se irato credere Ponto,
Nemo studet merces Gange referre suas.
Mutua cognatis est hic concordia, fratrum
Gratia, contentas cernis & esse nurus.
Debitus est honor hic patribus, quin iussus herilis
Excipitur, matres sollicitasq; colunt.
Fœnore sic omni gens prisca soluta paternum
Viuebat, Nilo non referebat opes.
Tunc patrium pro se quisque exercebat agellum.
Non curæ priscis aula superba uiris.
Omnia candor erant. non cognita fraúsque, dolúsque.
Simplicitas superis ista probata fuit.

Huic tenui menſa eſt ſatis exornata ſalino·
Patria ſecurum fercula cœnat olus·
De ſimis comedunt ciueis lac dulce capellis,
Pulteis, in calido toſtaq; liba foco·
Gallinæq; recens, calido ſtridensq; Butyro
Ouum · ſuſpenſo de Petaſone bolum·
Et pedicis ornat cœnas comprenſa Coturnix,
Aſſaq; prælongo Succula tota ueru·
Menſis adponunt matres Melimela ſecundis,
Quem cingunt multæ, Caſeus hicq;, nuces·
Hic, quas Patria fert, epulæ naſcuntur inemptæ,
Nateq; non procul hinc cornua Bacche facis·
Nempe die Feſto celebrant poſt Sacra choreas·
Saltantum ſtrepitu uallis amœna ſonat·
Hic incompoſito ſaltu terram quatit, alter
Amplexu prenſam uibrat in aſtra Chlöen·
Pars uolucres captant · currendo uincere quidam,
Et ſimplex nucibus ludere turba ſolet·
Viribus hic audax media decertat harena·
Hic natat in curſu lympide Blaue tuo·
Intenti quidam Creſſas torquere ſagittas,
Et Partho cornu præmia nacta ferunt·
Sæpe & Hamadryades miſtas cantare Napæis,
Actæasq; putes ludere ſæpe Deas·
Ictu Bombardae quidam reſonântque, globisque,
Nigricat & crebris ictibus ipſe Scopos·

Omnia quid memorem? Blauborna eſt laude uetuſta,
Dignaq; de priſca ſimplicitate cani·
Diſſecat hanc gelido Dachys liquidiſsimus amne,
Hinc miſcet ſocias utraq; uallis aquas·
Non procul hinc ingens, ac horrendum patet antrum,
Quod natura loci, ſponte receſſus habet·
Mille capax ouium, totidem patulumq; iuuencis·
Vidimus · in medio cæca feneſtra patet.
Lampade ſuccenſa tranſrepſimus ordine. rurſum
Ingens, horrendum cæca habitacla ſpecu·
Concretus liquor, hic lapis eſt, uulgariter idem
Lucidus, hinc ſocijs gemma reciſa ioco.
Hoc tepidum Lepores, Damas, Ceruosq; receptat,
Quándo Scythonia cuncta referta niue·
Frigore concreti quándo fluuijq; ſteterunt·
Quam ſecuere rateis, cum uia trita rota eſt·
Sirius aut nimio quom terras findit ab æſtu,
Gratas hic umbras Dama, Lepusq; petunt·
Beſtia ſi qua tamen nimium, penitusq; receſsit,
Eſt gyris uarij ſæpe retenta ſpecu·
Nequicquàm reditum, cæcas tentatq; cauernas
Linquere. linquuntur uix præeunte face·
Omnes, quotquot erant, mirati immane Barathrum,
Quale fuit Caci, uel Polypheme tuum·
Defluit in Blauum Dachys, findit prius idem,
Quod dixi, templum, ſed molit ante rotis·

Hic memini iuga, nos colleis Niclaë ſolere
  Scandere, mirari littora, ſaxa, ſpecum.
Atq; mei tibi Mnemoſy non memini dare, longum
  Quándo Vale dixi, talia uerba ſonans.
Mœnia priſcorum repetes Niclaë Nemetum,
  Rheniq; auriferi littora clara petes.
Hic ego, Cœruleas qua Blauus lambit arenas,
  Turtur ut amiſſa coniuge nempè, gemam.
Nos loca diſiungent, animo comitabor amicum,
  Parsq; mei potior uiue, ualeq;, canam.
Hæc abeunti uerba dabam ſub uertice Blaui,
  Cuius adhuc miror littora, ſaxa, locos.
Suſpiciunt clari Vates Heliconia Tempe,
  Et iuga Parnaſsi uerticis ipſa canunt.
Cyrrhæos referunt latices, fontemq; Pyrenen,
  Et biferi Pæſti mænia, prata, roſas.
Naturam noſtri miror fontisq;, lociq;,
  Arceis hic noſtris collibus impoſitas.
Aëris hic ſani clementia corpora nutrit
  Fortia, magnanimos Blauus habetq; uiros.
Ducendus contra Turcam ſit & inde Maniplus
  Perpetuus, fieret Bellua ſæua minor.
Suſpicio ualleis, & opaco frigore ripas,
  Arboreosq; choros, cinctaq; prata iugis.
Monteis hinc nudos, ſcopulos & in aſtra minanteis,
  Hinc pulchram colleis miror habere comam.

Fructiferum in dorſis ſuſpexi, & collibus agrum,
  Et, propè quæ fundis, dona Lyæe tua.
Non etenim procul hinc Methymnæas habet uuas,
  Hortos Alcinoi Necchar us amnis habet.
Anſere cum uigili Blauum piſcantur Anates.
  Illorum uideas ſæpe natare gregem.
Iuniperi quidam latebris in littore Blaui
  Tectus in inſidijs accola ſæpè cubat.
Arcu ab Ithyræo uideas hinc tela uolare.
  Sic & in inſidijs ſæpè feritur Anas.
Nempè iugis ut in Hyblæis, & montis Hymetti,
  Nare domum grauidas ordine cernis Apes.
Dachys habet retrò gradienteis flumine Cancros.
  In patina croceos hic licet eſſe tibi.
A cancris Blauum Dachys ſuperauerit, eſt uix
  Piſcibus, & curſu fluminis inferior.
Hinc lupus, atq; leo, procul hinc turpeisq; chelydri.
  Vrſa metus nullos hic Chalydonis agit.
Securi, atq; leueis fluuiorum ad murmura ſomni.
  Hic uarijs cernas cuncta uigere bonis.
Magnorum hic armenta boum, uaccasq; uideres
  In pratis, & oueis rure, iugisq; capras.
Delitias quærens in glande Sabellicus hic ſus,
  Hœdorumq; greges hic Melibæe regis.
Hic nuper nati uituli, matremq; ſequenteis,
  Qui graue adhuc teneri non didicere iugum.
B ij

Quom Steropæ socias reuehit Februarius, ecce
Cernit Amyclæos hic Epidaurus equos.
Hic fermè innumeros Atridas uidi, & Vlysses,
Anchisæ uidi, stemmata clara, genus.
Carolus hac, à Conuentu Fernandus abibant.
Illustreis uidi nobilitate uiros.
Et Cerere, & Bacho queis Vuirtembergia fœlix
Nempè dedit solito lætior hospitium.
Ad latus huic Blauborna sita est, & regia sceptra,
Scilicet in dicta simplicitate, colit.
Hæc spectata fide tua complet iussa, Georgi
Druchses, nobilum gloria prima uirûm.
Præsidium, decus, & nostræ lux pulchra Tübingæ,
Dignus es ex meritis Regis habere uices.
Es dignus longos fœlix regnare per annos,
Venturi cuius fortia sceptra colant.
Ad fontem gelidi quoq; suspicit aduena Blaui
Littora, saxa, locos, cætera quæq; uidens.
Hic alto Gerrhusiacum sub uertice castrum
Suspicit, & speculam Cœrule Blaue tuam.
Quin huic gibbo si petitur peninsula Ruggi.
Hic cubat ad murmur Gysselebache tuum.
Fonte tuo Blaui gelidum quoq; flumen adauges,
Subq; tua Platano membra quiete cibas.
Illa quidem sterilis, sed opacas sustinet umbras.
Huc reclinatis grata susurrat aqua.

Narcissos, Hyacinthon, & hic Colocasia cernis,
Cunctaq; uernantis uallis amœna uides.
Huc studiosa cohors, Regalis alumna Tübingæ,
Ire solet, Stoi, Socraticiq; uiri.
Hoc rerum caussas uenans Academia sæpè,
Et solet hoc, quæ gens Ambulat, esse loco.
Clarum non procul hinc Iäcobum est cernere Lembũ.
Protegit ille suo nostra patrocinio.
Vt Pater ille Scholam, nostras fouet ille Camænas.
Huic luces Pylias, tempora læta precor.
Aëris hic Blauum clementia temperat omnem,
Et facit, ut uigeant fortia membra, locum.
Hæc erat inclemens, nostræq; aduersa Tübingæ.
Hinc tua decernunt littora Blaue Patres.
Cum socijs quom se abscondit formosa Celæno.
Quando Autumnaleis Piscis iniuit aquas.
A nato Domino Iesu ter sæcula quinq;,
Anni ter, memini, praeteriere decem.
Pomifer, & morbos referens Autumnus habebat
In patulo iam tum musta renata lacu.
Officium ripæ faciunt, simplexq; popellus.
Hinc mihi, quod facis hæc, Blaue canende uenis.
Officium populi gratum est, fontisq;, lociq;.
Publica, sunt animi commoda grata magis.
Expectans studiosa cohors, Simlere diserte,
Astro fœlici læta redire cupit.

Nam te Phœbæis æquiq;, boniq; docentem
Artibus, & magna dogmata laude probat.
Immortalia diuinæq; oracula mentis,
Percupit à tanto discere multa uiro.
Dogmata Pastoris cupit hæc cœlestia Galli
Audire, ut mores combibat inde sacros.
Cecropios proceres reliquos imitarier optans,
Audire illorum uerba diserta cupit.
Et uideor iam nunc fœlicia cuncta uidere,
Quod des, ut uideam, te bone Christe rogo.
Quin merito uallem Blaui mireris amœnam,
Villas contiguas, rupea castra uidens.
Innumerasq; molas, Blauiq; uireta fugacis,
Excelsas uolucrum concaua saxa domos.
Quæ ueteres illis quondam imposuere Sacella,
Blaui gibbosis ædificata iugis.
Hic quòd in anfractu spatiatur, planicieq;
Egrediens uallem, cornua quodq; facit.
Quòd bis mille secat passus, dein mergitur Istro.
Scilicet ante Lares perfluit Vlma tuos.
Quæ, uelut exuperant altæ uiburna Cupressi,
Nobilis est nostra sic Emäunte magis.
Maior honos hic Musarum fors crescet alumnis,
Tunc pulchra ciueis laude probare queas.
Tunc recte artificum laudes, operumq; laborem,
Cum fossus turreis, mœnia, strata, uiros.

Rex fluuiorum Danubius nostrum bibit amnem.
Hinc & in excurso littore finis ades.
Quin maiore cani plectro dignissime Blaue,
Nunc quòd Regaleis láberis inter aquas.
Pannonios, per Bastarnas, & Turcica regna,
Hostia per septem ferris in Oceanum.
Mæonio, tu Minciadæ quoq; carmine dignus.
Illi sed proprias res cecinere sacri.
In rebus patrijs aliqua nos Blaue locando
Principio numeres ultima, primus ero.

FINIS.

Ad Iohannem Grüner,
Chalcographũ Vlmensem.

Nomen habes rebus quadrans Grünere, decusq;.
Hinc uirtute animi, corporis atq; uiges.
Litterulis flores, & coniuge. prole, domoq;.
Est & amicorum magna caterua tibi.
Libera, sed quoq; te florentia mœnia cingunt.
Est decus hoc quæ sunt flumina trina loco.
Hillara Danubio mistus Regi fluuiorum,
Hoc socias præbens littore Blauus aquas.
Teutonis inuentum, tuus est cultusq; character,
Quo cudis paruo tempore mille libros.
Et quo uenturis commendas uiscera nostra,
Si modo posteritas carmina nostra leget.
Dictis nempè tuis, est magnaq; gratia factis.
Nomen Iöhannis conuenit ergò tibi.